



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

XXXIV. Libros lingua vernacula compositos, & de fide ac moribus tractantes legi vulgo non debere: nisi a dioecesanis ante visitati sint & approbati, atque permiſi vt publice legantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

ANNO
CHRISTI
1527.

que nostrorum per suas dioeceses speciali auctoritate & permissione. Contra facientes ipso facto sententiæ excommunicationis subiaceant.

Et si qui sint tales libri seu in prouincia seu alibi impressi, prohibemus sub eadem excommunicationis pœna, prædictos libros vendi vel publicari, sine nostra (vt prius) suffraganeorumve nostrorum permissione. Adicientes sub prædictis pœnis, quod eisdem libris non adiiciantur annotationes marginales quæ hæresim sapiant, aut scandalosæ sint, ac piarum aurium offensiuæ.

XXXIV.

Verum quia intelleximus libros nonnullos, scriptos lingua vernacula, impios & scandalosos, per nostram prouinciam enchiridii more, a quibusdam circumferri, & a laicis, pueris, ac mulieribus, interdum publice, aliquando occulte legi: qui etsi forte incertos habeant auctores, nemini tamen dubium est eos ex materia operis ab hæreticis & perditionis magistris prodiisse: de fratrum & coepiscoporum nostrorum consilio & consensu præcipimus sub excommunicationis pœna omnibus & singulis, cuiuscumque status, conditionis aut sexus, vt si quos habuerint libros, *fidem aut mores concernentes*, a viginti annis citra in vulgari seu Latino sermone editos, eosdem ad diœcesanum suum confestim deferant: vt cum ab eo aut eius vicariis & commissis visi fuerint sedulo & examinati diligenter, eorundem librorum vel interdicatorum vel permittatur lectio. Quorum quidem librorum, seu iam impressorum, siue posthac imprimendorum, si lectio permessa fuerit, addatur eisdem libris decretum episcopi, quo significet per se aut alios doctos & approbatos viros seipsum examinationem diligentem fecisse, ac tunc demum eorum publicationem permittere. Volumus autem hoc præsens tam utile tamque salubre statutum per singulas parochias prouinciæ nostræ ter aut quater in anno publicari.

XXXV.

Inuidens semper humanæ saluti zizaniorum fator diabolus, quod in agrum dominicum per se directe non potest, id nonnunquam per suos, quos possidet, cupiditatis igne succensos, exquisitis modis efficere conatur. Siquidem dum nonnulli prædicatores, quæstores, vel falso

Concil. Tom. 34.

Q999 ij